



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Bellovacense Ob Cavsam Sancti Martialis Celebratum sub
Benedicto papa IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

BENEDICTVS LEMOVICENSE II. CONRADVS II. IMP.
P. IX. HENRICVS I. REX FR. 409

ANNO CHRISTI 1054. occidam te. Vno ergo i^tcu seniorem proprium decollauit : & grauissimo dolore repletus ad episcopum suum pœnitentiæ causa recucurrit. Cui ille compassus dixit : Debueras pro seniore tuo mortem suscipere, antequam illi manus aliquo modo inferres, & martyr Dei pro tali fide fieres: sed grauissimum reatum egisti, & nobis inauditum. Nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ , sed vade quantocius ad papam Romanum : si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo : si te ille abiecerit, nunquam nec a me nec ab aliquo inuenies pœnitentiam. Quod ille concitus impleuit, & cum testibus detulit secum literas episcopi sui. Et cum apostolicus secunda paschali feria apud sanctum Petrum sacra agens post euangelium resedisset , cœpit ille reus ante eum in conspectu totius ecclesiæ grauissime plorans & suspirans exclamare, dicens : Pœnitentiam volo, domine: Pœnitentiam volo, domine. Et apostolicus qui dextra lœuaque ei assistebant ait: Requirite pro qua culpa. Ille inquisitus nihil aliud dicebat : Creatorem meum offendisti: Creatorem meum offendisti. Cui apostolicus, Cur, inquit, episcopum tuum non expetebas. Et ille: Episcopus meus me misit ad te. Tunc testes apostolico suggererunt culpam , eique literas episcopi protulerunt. Sic apostolicus episcopo qui a dextris eius stabat locutus est, dicens : Recognita auctoritatem diuinam, quali pœnitentia hic mortuus possit viuiscari. Et episcopus ait: Dominus dicit in euangelio: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matt. 19.

De pœnitentiæ Romam missio a suo episcopo.

CONCILIVM BELLOVACENSE OB CAVSAM SANCTI MARTIALIS CELE- bratum sub Benedic^to papa IX.

Acta huius recitantur in prædictis synodalibus actis Concilii Lemovicensis secundi.

Concil. Tom. 25.

Fff